



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 28. Julii III. Pontificis diploma ad Cardinalem Polum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

inconsultis, & hanc esse pariter Pontificis Sæcul. XVI.  
mentem, satis compertum habeo: ad postre- A. C. 1554.  
mum dixit: præter eas peculiare facultates mihi a Julio concessas, penes me Pontificium habeo Diploma, quo mihi conceditur generatim, ut agam, quidquid animarum saluti conducturum putaverim, idque se ratum habiturum Pontificio nomine Julius pollicetur. Hoc diplomate gavisus admodum est regius Nuntius, ejusque exemplum Philippo communicandum petiit, affirmans, quod tunc, si id prius innotuisset Regi, leviores, brevioresque difficultates obstitissent.

## §. XXVIII.

*Julii III. Pontificis diploma ad Cardinalem Polum.*

Enimvero summus Pontifex jamjam Raynold  
die decima Julii paulo ante nuptias hoc ann. n. 8.  
inter Philippum, & Mariam celebra-  
tas quoddam diploma transmiserat his conceptum verbis: *Dilecto Filio nostro salutem, & Benedictionem. Superioribus Mensibus oblata nobis spe per Dei misericordiam, & charissimæ in Christo filice nostræ Maricæ Anglicæ Regincæ summam Religionem, & pietatem Nobilissimi illius Anglicæ Regni, quod jam diu quorundam impietate a reliquo Catholicæ Ecclesiæ Corpore avulsum fuit, ad ejusdem Catholicæ, atque universalis Ecclesiæ unionem, extra*  
*quam*

Sæcul. XVI. *quam nemini salus esse potest, reducendi, te*  
A.C. 1554. *ad prædictam Mariam Reginam, atque uni-*  
*versum illud Regnum nostrum, & Sedis*  
*Apostolicæ Legatum de Latere, tanquam*  
*pacis, & concordie Angelum de Venera-*  
*bilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ*  
*Ecclesiæ Cardinalium consilio, atque una-*  
*nimi assensu destinavimus, illisque facultati-*  
*bus omnibus munivimus, quas ad tanti ne-*  
*gotii consfectionem necessarias esse putavi-*  
*mus.* „Jamjam per Dei gratiam degu-  
 „stamus legationis tuæ fructus, ac spe-  
 „ramus, quod illa toto studio, omni-  
 „que dexteritate functurus sis: cum  
 „autem proxime Noster in Christo di-  
 „lectissimus Philippus Hispaniæ Prin-  
 „ceps matrimonium sit initurus, cen-  
 „suimus, necessarium fore, ut potesta-  
 „te magis ampla te muniamus, no-  
 „strumque, ac Sedis Apostolicæ Lega-  
 „tum nominemus adjectis iisdem man-  
 „datis, ac privilegiis erga Regem, quæ  
 „tibi apud Reginam olim concessimus,  
 „cum ea mens nostra sit, ut erga ut-  
 „rumque eodem fungaris officio. Con-  
 „fidimus quoque in Regis Religione,  
 „& zelo æque, ac in Cæsaris Patris  
 „ejus opulencia, necnon in propensa  
 „Reginæ voluntate, quod brevi omnia  
 „submovenda sint obstacula, quæ hoc  
 „regnum ad unitatem Catholicam re-  
 „duci prohibent: Nos vero non cessabi-  
 mus,

mus, te identidem in Christo adhortari, ut huic negotio pro viribus tuis cum omni diligentia, ac vigilantia incumbas: Datum Romæ &c. (\*)

Sæcul XVI.  
A.C. 1554.

§. XXIX.

*Polus Cantuariensem Archiepiscopatum sibi oblatum recusans.*

Post hæc Polus præfatum diploma Philippi Legato exhibens hæc junxit: „difficile erit amplio-  
rem adhuc, ac hæc est, potestatem obtinere; de cetero autem certus sum, quod Pontifex nil nisi Angliæ salutem exoptet, nullamque rationem habeat ad profanum commodum, quod ipsi ex hujus Regni reconciliatione quocunque modo obvenire possit. Ad hæc Legatus palam profitebatur, quod nunquam assensurus esset pactis, quæ contraherentur cum iis, qui ad Ecclesiæ sinum essent reversuri, eo quod id nec eorum salutem,

*Pallav. l. 13. c. 9. n. 4. § 5.*

(\*) Observes velim, quod Continuator quidem hujus diplomatis testem adducat Raynaldum Odoricum, hic autem non aliud referat diploma, quam illud ad Polum die 28. Junii datum, quod tamen longe diversum est ab eo, quale Continuator pro more suo fabricatum hic exhibet.

*Hist. Eccles. Tom. XLII.*

D